Senator excellentissime.

Quem cupis videre libellum, mitto; maximeq; miror, non inveniri apud vos, ubi omnia alioquin prästantissima cernuntur, Francisci Balduini docta ingenii monumenta. Sed ita est; etiam in Regia Parisiensi non reperitur präclari Cancellarii de Vair operum volumen: sicuti e Dacerii präfatione didici ad aurea Pythagorä carmina. Fruere igitur hoc scripto, et inde aliquid carpe proposito conveniens tuo. Si quid est amplius, quod meis efficere officiis possim, iube, atq; interea fortunatissime cum sodalibus tuis, quos meo nomine tenerrime osculaberis, perenna. Vale iterum.

Tui observantissimus

Halis Magdeburgicis
pridie Nonas Decembr. N. H. Gundlingius.
CIƆIƆCCXXIII.